

## SECTIO V.

### *De requisitis ad agendum.*

630. **Explicatio terminorum.** — In causis secundis, existente virtute, eaque sufficienti qua pollent ad agendum, potest actio propria huius virtutis non haberi propterea quia deest aliqua conditio necessaria, quo talis actio ponatur. Conditiones id genus appellantur *requisita ad agendum*, eaque varia esse queunt pro varietate causarum et effectuum. Alia sunt *positiva*, alia vero *negativa*, quae nimirum consistunt in remotione alicuius positivi impedimenti. Quaedam praeterea sunt necessaria metaphysice sive absolute; quaedam contra non nisi physice seu naturaliter, vel etiam moraliter duntaxat [232]. Quae porro generalium et absolute in omni causa secunda respectu cuiuscumque effectus requiruntur, haec videntur esse. Primo quidem ex parte Dei postulatur decretum concurrendi seu cooperandi pro exigentia cuique causae proportionata. Praeterea requiritur respondens potentia passiva ex parte subiecti quod actione causae secundae transmutatur: ut enim ex theologia suppono, solius Dei est creare. Postremo necessaria est applicatio virtutis agentis ad subiectum in quod agit. Solet etiam addi, tamquam necessaria ad agendum conditio, dissimilitudo inter agens et patiens. Nec certe immerito, si haec res bene intelligatur. Agens quippe agit prout est in actu; patiens contra, prout huiusmodi, est in potentia. Alqui quod est in potentia, et quod est in actu, qua talia, sunt profecto dissimilia. Confer Suarez (*Metaph.* 18. sect. 9. n. 7. seqq.).

631. **Causa in actu primo remoto vel proximo, et in actu secundo.** — Causa efficiens, pro diverso statu seu habitudine quae in ea spectari potest, maxime re-

spectu requisitorum ad agendum, dicitur esse vel in *actu primo remoto*, vel in *actu primo proximo*, vel in *actu secundo*. Hoc postremum habetur, cum operando activitatem suam exercet. Erit autem in actu primo remoto, cum virtute quidem gaudet, aliqua tamen conditio deest ad agendum necessaria. Eiusmodi est voluntas, cui tamen obiectum seu finis nondum sunt intellectu proposita. Quod si, praeter virtutem actioni proportionatam, requisita etiam adsint quibus ea sit ad agendum expedita, causa dicitur esse in actu primo proximo. Haec porro divisio, tametsi in causa efficienti potissimum consideratur, debita servata proportione locum habet etiam in aliis causarum generibus, ut quisque per se ipse facile videre poterit.

632. **Quaestio pertractanda.** — Haec quae diximus plana sunt, et communi omnium calculo probata. Una tantum quaestio eaque sat gravis moveri potest quoad tertiam conditionem, quam diximus necessariam in quocumque agente respectu cuiuscumque effectus. Disputatur nimirum, utrum propinquitas localis agentis ad passum necessario requiratur, quo debita existat applicatio virtutis effectivae ad effectum inde provenientem, vel contra ut possibilis haberi debeat *actio*, quam dicunt *distans*. Haec eadem quaestio sic etiam proponi potest, num scilicet oporteat, *omne agens immediate coniungi ei in quod agit*. Ceterum, ut aequivocatio omnis tollatur, et praesentis controversiae status rite aperiat, haec notari debent. Duplex nempe *immediatio* distingui consuevit inter agens et passum, *secundum suppositum*, et *secundum virtutem*. Id agit immediate secundum virtutem, quod propria virtute, et non motum ab alio operatur: agit vero immediate secundum suppositum, inter quod et effectum non mediat aliqua causa operans. Exemplum habes in scriptura. Is qui scribit est agens scripturae immediatum secundum virtutem; propria enim virtute movet calamus ad scribendum: est contra mediatum agens secundum suppositum, quippe cum inter ipsum et effectum calamus existat medius. Hic vicissim, ab contrariam ra-

tionem, est agens immediatum supposito, mediatum virtute. Exemplum vero agentis utroque modo immediati habes in Deo Creatore. Iam age, coniunctio seu localis propinquitas, qua de loquimur in praesenti, agentis immediati secundum suppositum, tum viget, cum est seipso praesens effectui, quatenus inter utrumque minime interiacet spatium, quo separantur seu distent invicem. Quod si sermo sit de agente virtute tantum immediato, constat, propinquitatem modo declaratam non semper requiri, nec semper adesse. Tum vero dicimus, oportere saltem, ut non agat in rem distantem, quin simul operetur in spatium intermedium. Quamobrem non est hoc ita intelligendum, quasi tale agens per seipsum influat in rem propinquam dumtaxat, sed quatenus nequeat inchoare actionem nisi a re propinqua, atque adeo non agat in rem distantem, nisi quasi continuata actione per propinquum et totum medium usque ad extremum. Talem porro coniunctionem Aristotelem (7. *Physic.* c. 2.; 1. *Generat.* c. 6) et Aquinatem (*Summa th.* 1. p. q. 8. a. 1.) sequuti, dicimus absolute requiri in quavis causa efficienti, ut operetur.

#### THESIS XXV.

*Nulla causa quidquam efficit, nisi vel sit praesens rei in quam agit, vel agendo in proximo actione quae per intermedium continuetur. Non datur proinde actio in distans.*

633. *Probatio.* — Hand sane facile quis inficiabitur, sententiam quam asserimus esse plane consentaneam communi modo, quo effectiorem omnem concipere solemus. Quisquae enim, cum unum ab alio effici dicitur, hanc effectiorem intelligit, quasi quoddam vinculum quo effectus cum causa necitur, sic nimirum, ut agens sit quodammodo actus ipsius passi, et hoc quasi potentia relate

ad illud. Atqui actus et potentia ex sua ratione postulant esse indistantes, quo suam causalitatem exerceant (1). Ceterum hoc argumentum, aliaque huic gemina idcirco omittimus, quia plerisque et gravibus auctoribus non sat efficacia videntur ad hanc rem demonstrandam, ac malumus cum Aristotele II. cc. sola inductione id ostendere hac ratione.

I. Ac primo quidem, quantum experientia se praeferit, hanc esse generalem agendi conditionem videmus, ut causa effectui suo coniungatur eo modo quo diximus. Certe si huiusmodi coniunctio non esset necessaria, nulla cerneretur ratio cur impediatur actio in passum distans, si spatium interpositum aliquo corpore repletur quod interrumpat actionem agentis. Praeterea actionem omnem quam experimur in passum distans, ea lege constanter exerceri videmus, ut eius intensitas sit in ratione reciproca distantiae, sic nimirum ut ipsa crescat distantia decrescente, hac vero crescente decrescat. Atqui id locum minime haberet, si semel ponatur actionem posse exerceri in passum distans quin exerceatur in spatium intermedium. Apposite Ludovicus De-San. "Manentibus fisdem intrinsicis dispositionibus tum agentis tum passi, ex una parte actio, in quantum egreditur ab agente, est eiusdem intensitatis; semper enim agens naturale, quando agere potest, agit secundum totam suam virtutem. Ex altera parte in utroque casu actio secundum totam illam intensitatem qua egreditur ab agente recipitur in passo: nihil enim eius intensitatis deperdi valet, cum non diffundatur trans medium aliquid interiectum.

(1) Hanc rationem paulo aliter sic evolvit Sylvester Mauro. "Sicut repugnat, quod agens agat, sine virtute agendi, ita repugnat, quod agat per virtutem activam non applicatam passo. Virtus enim non applicata passo respectu illius se habet sicut si non existeret. Sed applicatio virtutis ad agendum est coexistentia temporalis et proximitas localis ad passum. Ergo, implicat, ut agens, etiam supernaturaliter, agat in passum localiter distans, sicut implicat, quod agat in passum cui non coexistat." (*Qq. Philos.* lib. 3. q. 35.)

Quippe nonnisi absurdissime fingeretur actionem ab agente trans vacuum quadantenus diffundi ac distribui, ita ut ad passum non perfingeret, nisi aliqua eius veluti pars sit eo maior minorve, quo minor maioreve fuerit distantia inter agens et immediatum passum. » (*Instit. Metaph. spec. n. 285.*)

II. Etsi ex allata experientia non habetur completa inductio pro omni causarum genere, efficaciter tamen id etiam ita colligi potest. Vel enim praedicta necessitas conjunctionis agentis cum effectu oritur ex limitatione virtutis in agentibus quae experimur, vel fuit praecise ex ipsa generali ratione agentis, prout huiusmodi. Atqui primum dici non potest. Ergo alterum asserere oportebit, ac propterea in omni omnino agente talis necessitas agnosci debet. Minorem huius argumenti optime ita declarat Suarez. \* Nam si fundaretur, ait, solum in limitatione virtutis, non esset cur omnia agentia finita aequalem propinquitatem passi seu effectus requirerent, quia non omnia sunt aequalia, licet omnia sint finita. Unde sicut omnia habent finitam sphaeram activitatis, quia habent finitam virtutem, non tamen habent aequalem sphaeram, quia non habent aequalem virtutem; ita etiam hic modus agendi in rem distantem prius attingendo propinquam, non aequaliter conveniet omni agenti finito, sed ad summum erit commune omnibus non posse agere immediate ad quamcumque distantiam, sed ad finitam, et quod magis limitatum est, ad minorem distantiam. Quod vero nihil omnino possit agere nisi inchoando actionem a re propinqua, non est cur conveniat necessario omni agenti finito, eo quod finitum est, si ratio agentis ut sic id non postulat. .... Quanta ergo evidentia aut certitudine ex his quae experimur in agentibus naturalibus, colligimus omnia sibi determinare hunc modum agendi, tanta certe colligendum est, illam necessitatem non provenire ex limitatione virtutis, sed ex ipsamet ratione agentis. » (*Metaph. D. 30. sect. 7. n. 12, 13.*)

634. Quomodo ratio allata locum habeat etiam in divina actione. — Forsitan quispiam dixerit. Proprium

est Dei, simplici suae voluntatis nutu omnia operari. Etsi igitur est ubique ob exigentiam infinitae suae perfectionis, non videtur ex allata ratione sufficienter colligi substantialis eius praesentia in rebus omnibus in quas immediate operatur.

Respondeo, non esse dubium, quin Deus sua omnipotenti voluntate omnia operetur. Hoc tamen dictum duo significare potest pro duplici sententia quam theologi tuentur de divina voluntate agentes. Qui enim distinguunt actionem potentiae divinae ab actu divinae voluntatis, atque illam habent ut actionem formaliter transeuntem, secus ac est ipse voluntatis actus, idcirco dicunt Deum sua omnipotenti voluntate omnia operari, quia divina potentia exequitur id omne ad quod a divina voluntate applicatur. Qui vero pro uno eodemque habent actum quo Deus efficaciter vult rem esse, et actionem qua a Deo efficitur, hi severiori acceptione locutionem praedictam usurpant, et in ipso divinae voluntatis actu agnoscunt efficacitatem omnem quae in virtute causae efficientis habetur. Ceterum, utrovis modo rem consideres, vera et propria ratio agentis immediati in Deo elucet. Cum itaque ex generali ratione agentis habeatur necessaria conjunctio, quam probavimus, etiam in operatione potentiae ipsa locum habeat necesse est. Et haec est ratio, quamobrem ex hoc capite, et quidem unice, Doctor Angelicus divinae substantiae ubiunitatem demonstrat loco sup. cit. Immo Suarez hunc modum demonstrandi divinam immensitatem iudicat satis efficacem, et magis consentaneum non solum philosophis, sed etiam sanctis Patribus, et vero sensui Scripturae (*Metaph. loc. cit.*). Nec profecto negari potest, communi hominum sensui, ut initio diximus, id esse valde consentaneum: quae autem sunt eiusmodi, etsi alia probatio deest, difficile admodum a recto veritatis tramite desciscunt. »

SECTIO VI.

*Utrum causae secundae operentur  
operatione identificata cum substantia  
ipsarum.*

635. **Doctrina S. Thomae.** — Constans est Angelici sententia, quae docet, non nisi Deum esse suam operationem, atque adeo nullam rem creatam operari operatione cum eius substantia identificata. " In solo Deo, ait, operatio est eius substantia: unde Dei potentia, quae est operationis principium, est ipsa Dei essentia; quod non potest esse verum, neque in anima, neque in aliqua creatura. " (*Summa th. 1. p. q. 77. a. 1.*) Quare, ex mente eiusdem S. Doctoris, potentia effectiva qua pollent res creatae non eundem terminum respicit ac potentia divina. " Dicendum, ait, quod potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus. Sic igitur in Deo salvatur ratio potentiae, quantum ad hoc, quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc, quod est principium actionis, quae est divina substantia; nisi forte secundum modum intelligendi, prout divina essentia, quae in se simpliciter praehabet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest intelligi et sub ratione actionis, et sub ratione potentiae, sicut etiam intelligitur et sub ratione suppositi habentis naturam et sub ratione naturae. " (*Summa th. 1. p. q. 25. a. 1. ad 3.*) Haec porro doctrina, quatenus Deum respicit, innititur tum in divina simplicitate omnem cuiuscumque generis compositionem excludente, tum etiam in generali ratione sub qua per se primo creaturae a Deo dependent. Quaevis enim res a Deo distincta immediate ab eo pendet *quia et quia ens participatum*; quae ratio communissima est creaturis omnibus, neque ulla res est, praeter Deum, cui magis minusve

prae alia haec ratio convenit. Iam age, si actio divina esset aliquid extra Deum, quasi media inter ipsum et effectum, non videtur esse eadem utriusque dependentia a Deo, nimirum non aequae immediata. Ergo istiusmodi actio non convenit modo operandi qui est Deo proprius. Aliunde manifestum est, eam non esse accidens divinae substantiae superadditum; id enim est plane alienum ab eius omnimoda simplicitate. Ergo merito asseruit Angelicus, nullam dari actionem, quae media sit substantiam divinam inter et res omnes, quae a Deo effective procedunt. Ceterum de hac re uberius in Metaphysica speciali. Modo tractanda venit alia pars doctrinae recitatae, quae nimirum creaturas respicit.

THESIS XXVI.

*Nulla creatura habet operationem quae unum idemque sit reipsa cum sua substantia. Probabilius autem videtur, omnem cuiuscumque creaturae actionem in eo subiecto recipi, in quo recipitur formalis terminus ipsius.*

636. **Probatio I. partis.** — Ratio sic formari potest ex iis potissimum, quae tradit S. Thomas (*Summa th. 1. p. q. 54. a. 1. 2.*). Nempe minime fieri potest, ut creaturae actio unum idemque reipsa sit cum esse ipsius, substantiali videlicet. Ergo nec identificari potest cum ipsa substantia eiusdem. Consequentia argumenti patet in sententia eorum, qui distinctionem realem non concedunt inter essentiam et esse rerum creaturarum. Si enim ita res habet, manifestum est, non posse actionem differre ab esse, quin eo ipso differat a quidditate, quae unum idemque dicitur secundum rem cum tali esse. In sententia vero Aquinatis quam sequimur, talem distinctionem agnoscentis, consequentia allati argumenti sic patet. Sicut enim

ipse loco citato animadvertit, *plus differt actio rei a substantia eius, quam ipsum esse ipsius*. Si itaque substantia rerum creaturarum reipsa differt ab esse, a fortiori aliud erit a sua operatione. Relinquitur itaque probandum id solum, quod in antecedenti assumimus.

Id porro sic ostenditur. Vel enim sermo est de actionibus transeuntibus, vel de actionibus immanentibus. Atqui utraque actio reipsa differt ab esse substantiae creatae. Prima quidem, quia talis actio per se primo ordinatur non in perfectionem agentis, sed in perfectionem seu actionem materiae exterioris [628]; contra, esse substantiale cuiusque per se primo ordinatur in perfectionem ipsius substantiae quae tali esse actuatur, ut est ex terminis notum. Quare S. Thomas. "De prima ergo actione (transeunti), ait, manifestum est, quod non potest esse ipsum esse agentis; nam esse agentis significatur intra ipsum, actio autem talis est effluxus in passum ab agente.", (*loc. cit.* a. 2.) Sin vero sermo habeatur de alio genere operationum, id imprimis manifestum est in anima. In his enim maxime vigent argumenta, quibus supra [526] ostendimus realem existentiam et distinctionem accidentium. Ut autem generalis ratio eaque a priori reddatur, observandum est, operationes id genus magnam in sui ratione continere indeterminatorem, et quamdam veluti infinitatem, respectu nimirum obiecti circa quod versari queunt, et pro diversitate modi quo unum idemque obiectum plerumque attingunt. Contra, esse substantiale cuiusque unum idemque permanet, cuius rei causa dicitur consistere in indivisibili. Apposite rursus Angelicus. "Secunda actio (immanens) de sui ratione habet infinitatem vel simpliciter, vel secundum quid. Simpliciter quidem sicut intelligere, cuius obiectum est verum, et velle, cuius obiectum est bonum; quorum utrumque convertitur cum ente. Et ita intelligere et velle, quantum est de se, habent se ad omnia, et utrumque recipit speciem ab obiecto. Secundum quid autem infinitum est sentire, quod se habet ad omnia sensibilia, sicut visus ad omnia visibilia. Esse autem cuiuslibet creaturae est determinatum

ad unum secundum genus et speciem. Esse autem solius Dei est simpliciter infinitum, in se omnia comprehendens., (*loc. cit.*)

637. *Obiectio diluitur*. — Dicitur fortasse, Hae postrema ratiocinatione evincitur quidem, non posse fieri, ut esse substantiae creatae identificetur cum tali actu, sive cognitioni, sive appetitioni, qui exhauriat totum obiectum adaequatum virtutis cognoscitivae vel appetitivae, ut contingit in intelligere et velle divino. At enim supponi potest aliqua substantia creata pure spiritualis, cuius esse identificetur cum aliqua intellectione unius obiecti, puta suipsius, quae tamen adhuc remaneat in potentia respectu aliarum intellectionum, quae per modum accidentium priori superaddantur, aliaque obiecta respiciant.

Respondeo, hoc impossibile videri. Data enim hac hypothese, subiectum quod in potentia se haberet ad istiusmodi intellectiones accidentales, non aliud tandem esset, nisi intelligere quoddam subsistens. Atqui intelligere, prout huiusmodi, praesertim si ut res quaedam subsistens concipiatur, de sui ratione non dicit potentialitatem, sed sinceram actualitatem. Addi etiam potest cum Suarez. "Si aliae intellectiones sunt accidentia angeli, ergo naturalis modus intelligendi eius est per compositionem et informationem accidentalem, et actualis vita eius consistit in intrinseca efficientia et receptione proprii actus. Ergo semper et respectu cuiuscumque obiecti vivit et intelligit hoc modo, quia non potest simul habere duos modos intelligendi adeo diversos sibi connaturales., (*Metaph. D. 35. sect. 4. n. 11.*) (1)

Instabis. Ut fert commune eflatum, *vivere viventibus*

(1) S. Thomas exinde deducit, quare in substantiis creatis intellectualibus non possit haberi pluralitas personarum in eadem numero essentia, ut fides docet haberi in divinis. "In intellectualibus substantiis, ait, quae sunt nobilissimae creaturae, est etiam processio secundum operationem intellectus et voluntatis; et quantum ad hoc invenitur in eis increatae Trinitatis imago. Sed verbum et amor in

est esse. Atqui vivere seu vita nihil aliud esse videtur quam operari seu vitalis operatio.

Responsio facilis est. Vita enim dupliciter accipitur, nimirum in actu primo, et in actu secundo. Priori modo verissime dicitur vivere viventibus est esse: talis enim vita nihil est aliud quam ipsum esse in natura intellectuali, animali, aut vegetali. Quare viventia idcirco esse desinunt quia moriuntur. Quod si alio modo accipitur, in actu secundo videlicet, eiusmodi vivere seu vita est ipsamet vitae operatio, per quam demonstratur aliquid esse vivens: et sic minime intelligitur proloquium recitatum nisi in Deo, qui sicut est suum esse, ita est suum operari.

638. *Probatio II. partis.* — Quaestio, quam modo proponimus, non habet locum nisi in actione transeunte, cuius formalis terminus est actus seu perfectio, quae per eam inducitur in subiectum distinctum ab agente. Suppositis enim quae in probatione primae partis propositionis ostensa sunt, merito postulari potest, num ipsa actio, qua talis actus inducitur, eum comitetur, ac propterea inhaereat non agenti a quo est, sed subiecto quod ea transmutatur. Porro hoc postremum videtur asserendum. Ratio ducitur ex proprio conceptu agentis. Agens enim, ut tale est, nihil recipit, sed communicat. Nam recipere actualionem proprium est rei, quae est in potentia: agens contra, qua tale, non est in potentia, sed in actu. Quare semper ac ulterior aliqua actualio postulat in agente, quo virtutem suam exerceat, ideo fit, quod non sit simpliciter et perfecte agens, sed ex parte etiam patiens. Atqui actio convenit agenti praecise in quantum est agens. Ergo tametsi debeat ab eo proficisci, ut a suo principio efficiente, minime in eo recipitur, ut in subiecto cui inhaereat. Atque haec est ratio, quam

eis non sunt persona subsistentis; earum enim intelligere et velle non est ipsarum substantia, sed hoc proprium Dei est; unde verbum et amor procedunt in Deo ut personae subsistentes, non autem in intellectualibus creaturis. (Qq. Disp. Pot. q. 10. a. 1. ad 5.)

obrem Aristoteles (3. *Physic.* c. 3) docet, actionem et passionem sola ratione invicem differre, reipsa vero unum idemque esse cum ipso motu. Atqui certe quidem motus est actus mobilis, non moventis [624] (1).

Neque huic argumentationi obstat, quod actio et passio constituent diversa praedicamenta. Non enim, ut suo loco declaravimus [81], categoriarum distinctio sumitur ex diversitate rerum, sed potius ex diversitate questionum seu praedicationum. Quare S. Thomas: "Sciendum, ait, quod praedicamenta diversificantur secundum diversos modos praedicandi. Unde idem secundum quod diversimode de diversis praediciatur, ad diversa praedicamenta pertinet. Locus enim, secundum quod praediciatur de locante, per-

(1) Doctrinam Philosophi loc. cit. his verbis declarat S. Thomas. "Motus secundum unam rationem est actio et secundum aliam rationem est passio: alterum enim est secundum rationem esse actum huius ut in hoc; esse actum huius ut ab hoc. Motus autem dicitur actio, secundum quod est actus agentis, ut ab hoc; dicitur autem passio, secundum quod est actus patientis, ut in hoc. Et sic patet, quod licet motus sit idem moventis et moti, propter hoc quod abstrahit ab utraque ratione; tamen actio et passio differunt, propter hoc quod has diversas rationes in sua significatione includunt." (loc. cit. lect. 5.) Eandem sententiam tradit Aristoteles multis aliis locis, ac nominatim (9. *Metaph.* c. 9.; 2. *De Anima*, c. 2. 3. *ibidem*, c. 2.). Similiter Angelicus Doctor tum in comment. ad II. cc., tum etiam (2. *Cont. Gent.* c. 1.). Haud inferior S. Doctorem paulo aliter docere (Qq. Disp. Pot. q. 8. a. 2.), ubi sic ait. "Nihil prohibet aliud esse inhaerens, quod tamen non significatur, ut inhaerens; sicut etiam actio non significatur ut in agente, sed ut ab agente; et tamen constat actionem esse in agente." Ceterum sententia quam hac in parte sequimur, est multo conformior iis quae S. Doctor alibi nec semel manifeste tradit, ut patet ex testimoniis quae citavimus, ubi data opera tractat hanc questionem. Acedit, quod non incongrue obiecta verba ex questione citata de Potentia explicari sic possunt, ut non de ipsa substantia actionis intelligantur, sed de relatione agentis, ut sic: de hac enim verissime constat, eam esse in agente, sicut in subiecto. Quare (*Summa th.* 1. p. q. 43. a. 2. ad 2.) sic dicitur. "Cum actio et passio conveniant in substantia motus et differant solum secundum habitudines diversas, ut dicitur in 3. *Phys.*, oportet, quod subtracto motu non remaneant nisi diversae habitudines in creatante et creato."

tinet ad genus quantitatis: secundum autem quod praedicatur denominative de locato, constituit praedicamentum *ubi*. Similiter motus, secundum quod praedicatur de subiecto in quo est, constituit praedicamentum passionis: secundum autem quod praedicatur de eo a quo est, constituit praedicamentum actionis. (11. *Metaph.* lect. 9.)

639. *Scholton.* — Num de ratione actionis, prout est actio, sit habere terminum productum ab ea distinctum. — Potest hoc loco ulterius quaeri, utrum sicut actio creaturae distinguitur a substantia ipsius, sic etiam distinguatur nec ne a termino qui ea producitur. Quaestio nempe potissimum fit quoad actus immanentes, ut sunt intelligere et velle, num scilicet hi actus seipsis emanent a suis potentiis, vel media aliqua actione ex natura rei ab ipsis distincta. Ego existimo talem actionem mediani minime esse asserendam in horum actuum productione. Secus difficile admodum salvari poterit essentialis dependentia quam ex communi hominum sensu huiusmodi actus habent a suis potentiis. Quocirca Suarez, qui oppositam sententiam amplectitur (*Metaph.* D. 48. sect. 2.), coactus fuit affirmare, non esse ullum inconveniens, quod Deus hos actus efficiat *sine concursu activo suarum potentialium*, quod certe communi concipiendi modo videtur repugnare. Neque obstat, quod impossibile sit concipere effectum vel causalitatem actualem sine re aliqua effecta vel causata. Non enim id affirmo, cum dico actus immanentes seipsis procedere a suis potentiis: sed quemadmodum hoc ab omnibus dici debet de ipsa actione, quae certe non mediante alia actione effectivè procedit a sua causa, id etiam sine ullo inconveniente dici potest de actibus intrinsece vitalibus, ob specialem nempe dependentiam quam habent, ut diximus, a suis principis. Num vero id etiam locum habeat in actionibus transcurrentibus, quando hae non habent terminum qui permaneat ipsis cessantibus, (cum enim hoc contingit, actionis distinctio a suo termino sat manifesta videtur), quaestio est quae multa supponit in *Metaphysica* speciali decidenda. Quare eam in praesenti prudens omitto.

## SECTIO VII.

### *De principio proximo operationis in creaturis.*

640. *Quaestio tractanda.* — In praecedenti sectione egimus de distinctione existente inter operationem ac substantiam causarum secundarum. In praesenti videndum, utrum, sicut operatio, sic etiam ipsum principium proximum huius operationis, quod potentia operativa nominatur, a substantia creaturarum distinguatur, vel, quod perinde est, num substantia finita possit esse per se absque ope accidentis superadditi activa principiumque proximum operationis suae. Haec porro quaestio difficilior multo est, quam praecedens, neque resolutionem aequè certam habere potest. Quare doctores scholastici, quamvis in resolutione praecedentis communi suffragio inter se consentiant, in hac tamen non una est omnium sententia. Id videtur agnoscere ipse Angelicus Doctor (Qq. *Disp. De spirit. creat.* a. 11. ad 1.), sic inquires. "Dicendum quod quidquid dicatur de potentiis animae, tamen nullas unquam opinatur, nisi insanus, quod habitus et actus animae sint ipsa eius essentia. Qui enim ita loquitur, non eodem modo certum ipsum utrumque existimat. Ceterum, quae praemisimus viam aperiant iis quae dicturi sumus, tum ob argumenta quae inde ducentur, tum etiam propterea quod si intelligi potest substantia vere activa ac verum principium efficiens suorum effectuum, quamvis id minime praestet, nisi operatione media ab ea reipsa distincta, quidni talis activitas seu efficientia intelligatur, tametsi per virtutem intermediam exerceri dicatur? Ut vero lucidior huius controversiae decisio evadat, quaedam in antecessum praeannotanda veniunt.

641. *De quonam potentiae genere hic est agendum.*

Est itaque imprimis prae oculis habenda distinctio duplicis principii operationis. Alterum vocatur *principium quod operatur*, et est ipsum suppositum seu persona, prout suo loco declaravimus [532]. Alterum vero est forma quae supposito inexistit, et ex qua, quasi ex fonte, ipsum habet ut operetur aut operari valeat. Haec nominatur *principium quo*, ac bifariam rursus dispescitur. Aliud enim est primum et principale, aliud vero proximum et quasi instrumentarium. Illud est natura seu essentia substantialis, quae, ut est primum quo suppositum est seu in specie constituitur, sic etiam est primum quo operationes suae speciei exercere valet. Hae porro operationes unius eiusdemque substantiae multae sunt et diversae, quae plerumque sub eadem formali ratione minime coadunantur, ut videre licet maxime in viventibus. Hinc, quo activitas propria substantiae evadat proxime proportionata ad haec diversa genera operationum, dantur ei diversae facultates quibus eas exerceat, puta intellectus ad intelligendum, voluntas ad volendum, et ita porro. Quamobrem his facultatibus bene intelligitur activitas radicalis, cuiusque substantiae propria, quasi compleri et specificari. Facultates id genus constituunt id quod vocatur *principium quo proximum* operationis, quod una cum natura supposito datur a generante vel create. Vocantur etiam *potentiae operative*, prout nempe potentiae nomen praedicamentaliter accipitur, non transcendentaliter [546, 561].

642. **Potentiae activae, et passivae.** — Hic vero sedulo notanda est distinctio potentiae activae a passiva. Haec autem minime posita est in eo, quod illa simpliciter operetur, haec vero dumtaxat patiatur. Est nempe sermo in praesenti, ut modo diximus, de potentia quae in praedicamento qualitatis recensetur, quaeque universe et generatim semper est principium proximum operationis, prout eius definitio exigit. Est itaque hoc discrimen accipiendum, ut declaratur a S. Thoma his verbis. \* Cognoscitur earum distinctio per comparationem potentiae ad obiectum. Si enim obiectum se habeat ad potentiam, ut

patiens et transmutatum, sic erit potentia activa; si autem e converso se habeat, ut agens et movens, sic erit potentia passiva. Et inde est, quod omnes potentiae vegetabilis animae sunt activae; quia alimentum transmutatur per potentiam animae, tam in nutriendo, quam in generando. Sed potentiae sensitivae omnes sunt passivae, quia per sensibilia obiecta moventur, et fiunt in actu. Circa intellectum vero aliqua est potentia activa, aliqua passiva: eo quod per intellectum intelligibile in potentia fit intelligibile actu, quod est intellectus agentis, et sic intellectus agens est potentia activa; ipsum etiam intelligibile in actu facit intellectum in potentia esse intellectum in actu, et sic intellectus possibilis erit potentia passiva. \* (Qq. Disp. *Verit.* q. 16. a. 1. ad 13.) Hinc facile intelligitur, quod idem S. Doctor alibi notat, nimirum semper quidem obiectum se habere ad potentiam per modum causae, sed efficientis, si potentia sit passiva, finalis vero, si potentia sit activa. \* Obiectum, ait, comparatur ad actum potentiae passivae, sicut principium et causa movens; color enim, in quantum movet visum, est principium visionis. Ad actum autem potentiae activae comparatur obiectum, ut terminus et finis: sicut augmentativae virtutis obiectum est *quantum perfectum*, quod est finis augmenti. Ex his autem duobus actio speciem recipit, scilicet ex principio, vel ex fine seu termino. \* (*Summa th.* 1. p. q. 77. a. 3.)

643. **De qua distinctione est hic sermo.** — Iam age, nullam est dubium, quin naturam seu substantiam conceptu seceramus a potentis operativis, quibus fruitor. Id enim manifestum fit ex dictis, et aliunde communi hominum sensui oppido congruit. Natura quippe est quidem principium quo operationum, sed per modum causae universalis et primae, internae scilicet: potentiae contra sunt et ipsae principium quo operationis, sed per modum causae particularis et specificae. Natura enim per se primo ordinatur ad esse uniuscuiusque, quod est eius actus primus et fundamentalis; potentia vero tota quanta est ordinatur ad operationem, quae actus est quidem,



secundus tamen et accidentalis. Hinc fit ulterius, quod natura cuiusque est una: potentiae vero multae et diversae. Insuper illa intrinsecus specificatur absolute per propriam substantialem differentiam: hae vero respective, et in ordine ad operationem propriam, ac propterea sic etiam eas definire oportet, *per additamentum* videlicet [100]. Quomobrem in praesenti hoc unum in controversiam adducitur, nimirum utrum haec distinctio in sola mente consistat, sumpto fundamento ex parte rei, quae pluribus aequivaleat [467], vel contra distinctio asserenda sit etiam realis, qualis intercedit inter substantiam eiusque accidens vere et proprie eiusmodi. Ceterum in re praesenti valde cavendus est lusus ille imaginationis, quem cum S. Thoma supra meminimus [49]. Nempe minime concipi debent hae facultates, veluti res quaedam subsistentes, quasi ipsae per se sint et operentur. Contra, quemadmodum nullum accidens per se habet esse, sed substantia per illud [516], sic etiam non tam facultas esse aut operari dicenda est, sed substantia potius ope facultatis. Sed hoc melius patebit ex dicendis.

#### THESIS XXVII.

*Potentiae, quae sunt principia proxima operandi in rebus creatis, non sunt ipsa substantia earumdem, sed accidentia propria naturali resultantia seu dimanatione substantiae superaddita.*

644. **Probatio I. partis.** — Omissis aliis argumentis, quae ad hanc rem probandam afferri consueverunt, duo tantum seligo, ut quae efficaciora et magis tuta hac in re esse videntur, alterum a priori, alterum vero a posteriori.

I. Potentia per se primo ordinata ad actum diversificatur pro diversitate actus, quo eius capacitas completur et exhauritur. Quare, ubi de tali potentia et actu

intelligatur, videtur notum ex terminis proloquium illud. *Potentia et actus sunt in eodem genere*, quemadmodum supra innuimus [578]. Age vero, essentia seu substantia creata per se primo ordinatur ad esse, substantiale nimirum, et est ratio adaequata (subiectiva) totius illius esse; contra, potentia operativa tota quanta est per se primo ordinatur ad operationem. Cum itaque in solo Deo idem sit esse et operari, ut supra ostensum est, in eo tantum idem etiam erit essentia ac virtus operativa. Atque haec ratio lucidior erit, supposita distinctione reali inter essentiam et esse rerum creaturarum. Sicut enim essentia se habet ad esse, ita potentia operativa ad operari: utrobique enim elucet proportio potentiae ad actum sibi proportionatum quo in suo quaeque ordine completur. Ergo, mutata proportione, ita essentia se habet ad potentiam agendi, sicut esse ad operari. Atqui in creata differt secundum rem esse et operari. Ergo reipsa etiam differt essentia et potentia operativa. Hinc redit argumentatio S. Thomae. \*Impossibile est, ait, quod alicuius substantiae creatae sua essentia sit sua potentia operativa. Manifestum est enim, quod diversi actus diversorum sunt: semper enim actus proportionatur ei cuius est actus. Sicut autem ipsum esse est actualitas quaedam essentiae, ita operari est actualitas operativae potentiae seu virtutis: secundum enim hoc utrumque est in actu; essentia quidem secundum esse, potentia vero secundum operari. Unde, cum in nulla creatura suum operari sit suum esse, sed hoc sit proprium solius Dei; sequitur quod nullius creaturae operativae potentia sit eius essentia, sed solius Dei proprium est ut sua essentia sit sua potentia. \* (Qq. Disp. *De spirit. creat.* a. 11.) Eodem argumento utitur (*Summa th.* 1. p. q. 54. a. 3.).

II. Argumentum a posteriori ducitur ex inductione sat completa pro rei capacitate. Si enim sermo sit de viribus corporeis, eas distingui a substantia ex eo convincitur, quod divinitus ab ea separatae permanere possint, ut in venerabili Eucharistiae sacramento contingit.

Sin vero agatur de potentiis vitalibus, tanta profecto elucet diversitas, immo et oppositio, in propriis actibus ipsarum, et in proprio modo agendi singularum, ut, si minus evidens, per se tamen valde credibile videatur, eas in unoquoque vivente non unam esse, sed nullas et diversas (1), quod certe de substantia minime dici potest.

645. *Explicatur II. pars.* — Ex dietis manifestum est, potentias quas tractamus in numero accidentium recenseri debere, prout nempe accidens quarto loco inter praedicabilia numeratur [71]. Etsi enim non sunt ipsa essentia seu substantia rei, per se tamen exiuntur ab ea ad ipsius connaturale complementum. Remanet dumtaxat explicandus modus ipse causalitatis quo a substantia dependet. S. Thomas hanc rem paucis verbis sic declarat. "Dicendum, quod subiectum est causa propria accidentis et finalis, et quodammodo activa, et etiam materialis; in quantum est susceptivum accidentis. . . . Emanatio propriorum accidentium a subiecto

est in alio modo, scilicet in modo, in quo substantia est causa

(1) Huius pluralitatis ac diversitatis elegantem plane rationem sic reddit Angelicus Doctor. "Quae sunt in rebus infima, non possunt consequi perfectam bonitatem, sed aliquam imperfectam, consequuntur paucis modibus. Superiora vero, his adipiscuntur perfectam bonitatem multis modibus. His autem superiora sunt quae adipiscuntur perfectam bonitatem multis modibus patet. Summa vero perfectio invenitur in his quae absque motu perfectam possident bonitatem. Sicut infimae est ad sanitatem dispositus qui non potest perfectam consequi sanitatem, sed aliquam modicam consequitur paucis remediis; melius autem dispositus est, qui potest perfectam consequi sanitatem, sed remediis multis; et adhuc melius qui remediis paucis; optime autem qui absque remedio perfectam sanitatem habet. Dicendum est ergo quod res, quae sunt infra hominem, quaedam particularia bona consequuntur; et ideo quasdam paucas et determinatas operationes habent et virtutes. Homo autem potest consequi universalem et perfectam bonitatem, quia potest adipisci beatitudinem. Est tamen in ultimo gradu secundum naturam eorum, quibus competit beatitudo; et ideo multis et diversis operationibus et virtutibus indiget anima humana. Angelus vero minor diversitas potentiarum competit. In Deo vero non est aliqua potentia vel actio praeter eius essentiam." (Summa th. 1. p. q. 77. a. 2.)

non est per aliquam transmutationem, sed per aliquam naturalem resultationem, sicut ex uno aliud naturaliter resultat, ut ex luce color." (Summa th. 1. p. q. 77. a. 6. ad 2. et 3.) Iam age, causalitas finalis et materialis, de qua h. l. S. Thomas, facili intellectu est. Potentiae quippe naturales per se ordinantur ad constituendam substantiam in connaturali statu sibi debito vi generationis vel creationis. Inhaerent praeterea in ea, tamquam vera et proprie dicta accidentia, tametsi propria. Aliquam tantum difficultatem facessit causalitas illa quodammodo activa, quam praeter finalem et materialem S. Doctor tribuit substantiae respectu talium accidentium. Si enim substantia per se ipsa potest esse causa activa respectu suarum potentiarum, ergo videtur falsum generale principium oppositum, quod adstruere conati sumus, nimirum non convenire nisi Deo, ut ipse sit sua operatio ac virtus operativa. Ceterum hoc inconveniens vitari potest, si notetur discrimen, quod existit inter simplicem emanationem qua propria accidentia naturaliter resultent ex substantia, et efficientiam qua causae secundae connaturalibus suis potentiis operantur. Primo quidem differunt ex eo, quod in priori emanatione minime intervenit transmutatio propriae nominis, ut notavit S. Thomas loco citato. Non enim supponit subiectum privatum forma, adeoque non transmutat illud a privatione ad formam vel a contrario in contrarium. Secus accidit in actionibus quae sunt propriae potentiarum. Secundo et praecipue differunt propterea quae potentiae operativae per se primo ordinantur ad operationem: quare, ut dictum est, oportet eas una cum suis operationibus in genere accidentium collocare. Activitas vero quae est per naturalem emanationem seu resultantiam, secundario et quodammodo indirecte consequitur substantiam in suo primo esse constitutam. Quare substantia est potentia per se primo ordinata ad proprium esse substantiale; consequenter vero ordinatur etiam ad accidentia ei connaturalia. Iam vero, ut suo loco notavimus [570], ex tali actu, consequenti videlicet, potentia minime speciem desumit,

ac propterea non opus est in eodem genere ambo ordinari (1).

646. *Scholion.* — **Utrum substantia una cum potentia sit principium immediate effectuum suorum effectuum.** — Quaestio haec ad complementum praesentis doctrinae necessaria praecipue movetur, tum respectu actuum vitalium, tum maxime respectu generationis substantialis. Nobis breviter sic resolvenda videtur. Si enim, cum aliquis id affirmat, duplicem quasi conciperet actionem, alteram quae sit a potentia, alteram vero quae ab ipsa substantia dimanet, quae binae actiones deinde in uno eodemque effectu iungantur, is certe falleretur. Ut enim esse, sic et operari, per se non convenit accidenti, sed substantiae per accidens. Sin autem res ita concipiatur, ut una eademque indivisa actio immediate sit tum a potentia, tum a substantia, ea ferme ratione qua eadem est actio instrumenti et principalis agentis [612], id certe minime negandum videtur. Sic enim rem habere suadet tum proprius modus essendi potentialiarum [643], tum intima dependentia quam omnes concipiunt in operationibus a primo vitae principio quod est anima, tum denique quia secus difficile admodum esset explicare quo pacto in generatione substantiali solae virtutes accidentales, quin a substantiali

(1) Gregorius de Valentia hanc naturalem resultantiam his verbis declarat. "Potentiae animae fluunt non quidem per aliquam actionem proprie dictam, sed per simplicem, ut appellant, emanationem; quae in hoc consistit, quod talibus potentiis anima praedita est, quales ipsis essentiali perfectioni aptissime conveniunt, ad eiusque perfectionis complementum sunt debitaë." (Vol. I. *Disp.* 6. q. 3. p. 4.) Sed, ut verum fatear, haec rem praesentem non declarant. Non enim adstruunt nisi *exigentiam* naturalem substantiam inter eiusque potentias, quae est res manifesta admodum. Resultantia vero naturalis significat ipsum *modum* causalitatis, quo tale genus accidentium, quae videlicet substantiae sunt, naturaliter debita, ab ea fluit seu dimanat; quem modum ad genus causae tum finalis et materialis, tum etiam productivae cum Angelico Doctore nos revocamus.

principio quodammodo eleventur, possint efficacitate sua aliud quam accidentia progignere. Neque id mirum videri debet, si prae oculis habeatur quod paulo ante notavi. Si enim substantia active se habet in dimanatione qua potentiae ex ea naturaliter resultant, quidni similis etiam immediata activitas concipiatur respectu ipsarum operationum et effectuum, qui a potentiis procedunt? Potest etiam hoc illustrari exemplo habituum, puta scientiae, alteriusve virtutis. Quemadmodum enim habitus ita perficiunt potentias, ut etiam istae concurrant ad actus, sic etiam, servata proportione, potentiae perficiunt substantiam, ut haec etiam concurrat immediate ad actus. Et haec satis sint de hac quaestione. Si plura velis, confer Suarez (*Metaph.* D. 18. sect. 2. 5.), et Sylvestrum Mauro (*Quaest. Philos.* lib. 3. q. 20. 21., lib. 4. q. 30.).

## SECTIO VIII.

### *De causa materiali et formali.*

647. **Quid nomine formae ac materiae veniat.** — Cum haec duo correlativa invicem sint, notio unius notionem alterius praebet. Iam age, "forma, ait Angelicus Doctor, alicuius rei potest dici tripliciter. Uno modo, a qua formatur res, sicut a forma agentis procedit effectus formatio. . . . Alio modo dicitur forma alicuius, secundum quam aliquid formatur, sicut anima est forma hominis, et figura statuae est forma cupri. . . . Tertio modo dicitur forma alicuius illud, ad quod aliquid formatur, et haec est forma exemplaris, ad cuius similitudinem aliquid constituitur; et in hac significatione consuetum est nomen *ideae* accipi, ut idem sit idea quod forma quam aliquid imitatur." (Oq. *Disp. Verit.* q. 3. a. 1.) Ceterum, si quis recte consideret, in hac triplici acceptione semper elucet notio eiusdam *actus specificantis*,

quod praeclare Aristoteles exposuit per illa verba *ὁ λόγος τῶν ἐν τῷ εἶναι*, hoc est *ratio quidditatis*. Hoc autem differt inter secundam acceptionem, et duas alias, nimirum quod istae secus ac illa minime ingrediuntur in constitutionem ipsam compositi quod ex formatione resultat. Haec secunda tamen est principalis acceptio huius vocis, et inde per analogiam denominationem binæ aliae derivantur. Quemadmodum enim res in specie constituitur per formam secundum quam intrinsecus actuatur, puta corpus per animam; sic etiam ad talem speciem determinatur ob formam agentis sive naturalem sive idealem cui assimilatur, ut paulo inferius explicatius dicemus. Patet interim, quid sit materia quae correlativa est formae istiusmodi. Est nempe vel subiectum quod ea intrinsecus actuatur, vel res ipsa quae ab agente procedit ut similitudinem referat formae, sive in eius natura, sive in eius intellectuali conceptione existentis.

648. **Forma intrinseca quotplex.** — Forma secundo modo accepta, intrinseca videlicet, multifariam dispecitur. Alia dicitur *forma totius*, alia vero *forma partis*. Illa est tota quidditas, tum respectu totius suppositi, tum respectu partium eius. Respectu suppositi quidem, quia unumquodque per suam quidditatem in aliqua determinata specie entis collocatur; quemadmodum se habet humana respectu individuorum humanae speciei. Confer quae supra diximus [532]. Respectu partium autem tota quidditas vocatur forma ex eo quod partes sunt propter perfectionem totius; quare (2. *Physic.* c. 5.) connumerantur in genere causae materialis, totum vero in genere causae formalis. Apposite S. Thomas. <sup>1</sup> Dicendum, quod licet partes speciei, quae ponuntur in definitione, comparantur ad suppositum naturae per modum causae formalis, tamen ad ipsam naturam, cuius sunt partes, comparantur ut materia; nam omnes partes comparantur ad totum, ut imperfectum ad perfectum, quae quidem est comparatio materiae ad formam. (*loc. cit.* lect. 5.) Confer etiam (*Somma th.* 1. p. q. 65. a. 2., item 3. p. q. 90. a. 1.). *Forma vero partis* dicitur id quod per modum

interni principii partialis aliud comprincipium actuatur ac specificè complet. Est autem duplex compositio in aliqua essentia, altera secundum considerationem logicam, altera vero secundum considerationem physicam. Illa habetur ex genere et differentia; et hoc modo differentia se habet ut forma, genus vero per modum materiae, quia nempe genus est quid potentiale et indifferens, et per differentiam actuatur et determinatur ad certum gradum seu speciem naturae [73. 474. obiect. III.]. Altera compositio existit ex potentia et actu reipsa distinctis; et hoc modo vocatur materia pars illa, quae se habet in potentia ad rei constitutionem; forma vero, quae ut actus huius potentiae eius capacitatem explet et ad complementum perducit. Sic, in statua v. gr., marmor unde illa consurgit se habet ut materia; artificiosa vero illa dispositura partium, qua marmor induitur per actionem sculptoris ut talis statua evadat, forma ipsius dicitur.

His prae habitis, quin digrediamur ad graves controversias in Metaphysica speciali decidendas, videndum modo est generatim, an et quae causalitas in re praesenti interveniat, *quodammodo* *duplex* esse possit, videlicet una in actu, et altera in potentia, quae in actu dicitur forma, et in potentia materia.

**THESIS XXVII.**

*Quandocumque aliquid veram mutationem subit, necesse est duplici eoque interna et propria dicta causa coalescat, materiali nimirum et formali. Utriusque porro propria causalitas non consistit in aliqua actione unius in aliam, sed in mutua communicatione propriae realitatis per immediatam unionem utriusque.*

649. **Probatum I. pars.** — Ut enim supra dictum est [622], mutatio proprii nominis potest esse vel de privatione in formam, vel de forma in privationem, sed de-

nique de forma in formam. Quare necesse est, ut omne id quod veram mutationem subit, vel in utroque mutationis termino, vel in alterutro saltem, potentia et actu intrinsecus coalescat [625, II.]. Iam age, in tali potentia et actu manifestam veritatem habent quae hic asserimus. Nam

I. Alterum quidem se habet ut materia, potentia nimirum, alterum vero ut forma, actus scilicet quo haec potentia completur. Ad rationem quippe formae pertinet, ut sit actus specificativus rei; materiae vero nomine venit subiectum quod hunc actum recipit eoque in tali specie collocatur. Atqui primum habetur in actu qui est terminus positivus mutationis cuiuslibet, alterum vero in potentia quae eo actuatur.

II. Sunt praeterea causae proprii nominis respectu rei quae ex eorumdem compositione resultat. Hoc enim ut habeatur, duo requiruntur et sufficiunt. Primo quidem, ut compositum aliud sit a singulis componentibus: et hoc manifeste habetur in re praesenti, ut in quolibet toto respectu suarum partium [472]. Secundo, ut ab ipsis dependeat in suo esse; atqui unumquodque maxime dependet in suo esse ab eo unde constituitur in hoc ipso esse.

III. Patet denique, eas esse causas rei non externas sed internas, pro eo quod sunt partes constitutivae rei quae inde coalescit. Quare differunt a causa efficienti. Haec enim, prout talis est, entitate sua non constituit effectum; contra, materia et forma quae sunt interna principia rei mutabilis. Unde ulterius habetur, quod causalitas efficientis nullam per se dicit imperfectionem, ac propterea maxime Deo convenit; causalitas vero materiae et formae supradictae adnexam habet imperfectionem quae est de ratione partis, atque adeo in Deo locum habere non potest.

650. *Probatur II. pars.* — Explicandum modo est, in quo reponenda sit propria ratio qua haec causae in proprio genere influunt in suum effectum. Hac in re duo asserimus.

I. Ac primo quidem removemus modum causandi a nonnullis assertum, qui in aliqua mutua actione consisteret qua materia in formam, et haec vicissim in materiam ageret. Ratio est, quia actio est propria causalitatis causae efficientis, ut ex praemissis patet. Atqui causa materialis et formalis sunt in alio genere causarum. Praeterea id nulla ratione concipi potest in formis quae in suo esse dependent a subiecto, cuiusmodi sunt praesertim formae omnes accidentales. Nihil enim agit, nisi prout est actu [569]. Quare esse agentis est natura prius ad omnem ipsius operationem. Atqui in hoc genere formarum nequit concipi quod sint, quin eo ipso concipiatur quod sint in subiecto, a quo propterea dicuntur dependere in esse. Ergo in signo naturae priori ad omnem operationem ipsarum iam habetur quod sint in subiecto. Atqui rursus perinde est concipere eas esse in subiecto ac concipere compositum quod inde resultat. Ergo antecederet ad operationem istarum formarum iam habemus compositum, h. e. effectum proprium qui ex formali causalitate ipsarum exurgit.

Nec dicatur, ambas has causas recte connumerari inter efficientes, ut quae et ipsae sunt principium mutationis in alio, quae est definitio causae efficientis tradita a Philosopho (4. al. 5. *Metaph.* c. 1). Nam imprimis hoc nulla ratione convenit causae formali; haec enim non est principium sed terminus mutationis, ac propterea, ut mox dicemus, est causa *essendi*, non *fiendi*. Praeterea Philosophus loco citato non dixit simpliciter causam efficientem esse principium mutationis, sed *id unde primum principium mutationis*. Atqui hoc nulla ratione convenit causae materiali ex qua fit aliquid; materia enim huiusmodi est quidem principium aliquod mutationis sed non *primum*, quippe cum ab agente transmutetur. Confer quae ante diximus [611, nota].

II. Quod vero causalitas quam modo consideramus, reponi debeat in intima atque immediata unione qua forma cum materia copulatur ad compositum constitutum, facile probatur ex proprio effectu utriusque causae.

Hic enim in casu est compositum, secundum quod unum constituitur ex utroque principio, sicut ex potentia et actu. Atqui unum, quia tale, ex potentia et actu praecise per hoc intelligitur constitui, quod actus propriam realitatem communicat suae potentiae correlativae, haec vero illum in se recipiat ut eo absolvatur. Ergo in hac mutua unione seu communicatione et quavis penetratione utriusque causalitas propria merito reponitur. Quare S. Thomas hoc modo ex mente Aristotelis exponit causam erroris illorum, qui medium quoddam investigabant quo forma cum materia copularetur. \* Causa, ait, quare talia posuerunt, est quia inquirebant quid faciens unum potentiam et actum, et inquirebant differentias eorum, quasi oporteret eas colligari per aliquod unum medium, sicut ea quae sunt diversa secundum actum. Sed, sicut dictum est, ultima materia, quae scilicet est appropriata ad formam, et ipsa forma sunt idem. *Aliud enim eorum est sicut potentia, aliud sicut actus.* Unde simile est quaerere, quae est causa alicuius rei, et quae est causa quod illa res sit una; quia unumquodque, in quantum est, unum est, et potentia et actus quodammodo unum sunt; quod enim est res in potentia, fit in actu. Et sic non oportet ea uniri per aliquod vinculum, sicut ea quae sunt penitus diversa. Unde nulla causa est faciens unum ea quae sunt composita ex materia et forma, nisi quod movet potentiam in actum. Sed illa, quae non habent materiam simpliciter, per seipsa sunt aliquid unum, sicut aliquid existens. (S. *Metaph.* lect. 5.)

651. *Coroll. I.* — **Definitio materiae et formae, ut sunt causae intrinsecae.** — Ex dictis patet imprimis, quatenam sit propria ratio et definitio utriusque causae quam consideravimus. Materialis quidem, prout Philosophus definit (4. al. 5. *Metaph.* c. 1.), est id ex quo fit aliquid ut inexistente, ut aes statuae, et argentum phialae, et horum genera. Quod sic declarat S. Thomas. \* Uno modo dicitur causa id ex quo fit aliquid, et est ei inexistens, id est, intus existens. Quod quidem dicitur ad differentiam privationis et etiam contrarii. Nam ex con-

trario vel privatione dicitur aliquid fieri sicut ex non inexistente, ut album ex nigro, vel album ex non albo: statua autem fit ex aere et phiala ex argento sicut ex inexistente; nam cum statua fit non tollitur ratio aeris, nec si fit phiala tollitur ratio argenti. Et ideo aes statuae, et argentum phialae sunt causa per modum materiae. *Et horum genera*, quia cuiuscunque materia est speciei aliqua, materia est eius genus, sicut si materia statuae est aes, eius materia erit metallum, et mixtum, et corpus, et sic de aliis. (5. *Metaph.* lect. 2.) Causa vero formalis, cum materiam praedictam respiciat ut actus formalis et intrinsecus, recte sic defini poterit: *Actus quo potentia materiae intrinsecus completur, et in specie constituitur huius vel illius generis.* Et vero maxime convenit generalis illa descriptio, quam paulo ante ex Aristotele retulimus, qua nimirum forma dicitur *ratio quidditatis*, seu definitionis per quam scitur quid res sit. \* Quamvis enim, ait Divus Thomas, in definitione ponantur aliqua partes materiales, tamen id, quod est principale in definitione, oportet quod sit ex parte formae. Et ideo haec est ratio, quare forma est causa, quia perficit rationem quidditatis rei. (5. *Metaphys.* lect. 2.)

652. *Coroll. II.* — **Num sint causae essendi vel fiendi.** — Patet praeterea, tum materiam, tum formam esse causas *essendi* respectu compositi, pro eo quod intrinsecus constituent eius essentiam, cui competit esse. Praecipue tamen id convenit formae, quia inde sumitur differentia, ut paulo ante notavimus. Materia praeterea est etiam causa *fiendi* respectu compositi quod transmutatione efficitur. Effectus enim transmutativa dependet a subiecto seu materia quae in actum formae transmutatur; et ob hanc dependentiam praecise differt ab efficientia creativa [627].

653. *Coroll. III.* — **Forma accidentalis et substantialis.** — Colligitur tertio ex dictis doctrina maxime notanda. Si videlicet, praeter accidentales, existunt etiam verae mutationes substantiales, (sic autem rem habere *Metaphysica* specialis ostendit), necesse est duplex

agnoscat forma, nimirum *accidentalis* et *substantialis*. Cum vero esse substantiale eiusque rei sit primum in quo res subsistit, accidentale e converso illud iam constitutum subadiat [516], hinc utriusque formae discrimen aliud esse non potest, quam quod his verbis declarat Angelicus. " Considerandum est, ait, quod forma substantialis in hoc a forma accidentali differt, quia forma accidentalis non dat esse simpliciter, sed esse tale; sicut calor facit suum subiectum non simpliciter esse, sed esse calidum. Et ideo cum advenit forma accidentalis, non dicitur aliquid fieri vel generari simpliciter, sed fieri tale aut aliquo modo se habens; et similiter cum recedit forma accidentalis, non dicitur aliquid corrumpi simpliciter, sed secundum quid. Forma autem substantialis dat esse simpliciter; et ideo per eius adventum dicitur aliquid simpliciter generari, et per eius recessum simpliciter corrumpi. Et propter hoc antiqui naturales, qui posuerunt materiam primam esse aliquod ens actu, puta ignem, aut aërem, aut aliquid huiusmodi, dixerunt quod nihil generatur aut corrumpitur simpliciter, sed omne fieri statuerunt alterari, ut dicitur in 1. Physicorum. " (*Summa th.* 1. p. q. 76. a. 4.) Haec modo delibasse sufficiat; ut enim diximus, in *Metaphysica* speciali declarationem exposcent multo uberiorem.

654. *Coroll. IV.* — **Diversitas formae pro diversitate unionis, qua plura in unum coalescunt.** — Patet insuper, formam diversimode se habere pro diversitate qua plura in unum uniuertur. " Tripliciter enim, ait rursus S. Thomas, aliquid unum ex duobus vel pluribus constituitur. Uno modo ex duobus integris perfectis remanentibus, quod quidem fieri non potest, nisi in iis quorum forma est compositio, vel ordo, vel figura; sicut ex multis lapidibus absque ullo ordine adunatis per solam compositionem fit acervus; ex lapidibus autem et lignis secundum aliquem ordinem dispositis, et etiam ad aliquam figuram redactis fit domus.... Alio modo fit aliquid unum ex perfectis, sed transmutatis; sicut ex elementis fit mixtum.... Tertio modo fit aliquid ex aliquibus non per-

mixtis vel permutatis, sed imperfectis, sicut ex anima et corpore fit homo, et similiter ex diversis membris unum corpus constituitur. " (*Summa th.* 3. p. q. 2. a. 1.) Patet autem quid haberi debeat, ut forma secundum istos diversos modos unionis. In priori quidem non est nisi ipsa compositio, vel ordo, aut figura; in altero vero est ea quae ex ipsa elementorum mutua alteratione et corruptione resultat; in tertio denique vel unum se habet ad alterum ut forma ad materiam, sicut anima ad corpus; vel singula se habent ut partes et materia, totum vero ut forma, sicut membra respectu corporis, ac generatim partes quantitativae respectu magnitudinis vel numeri quae iis coalescunt.

655. *Coroll. V.* — **Causa formalis improprie talis.** — Postremo facile intelligitur, genus et differentiam, etsi quasi partes habeantur ac propterea ad instar materiae considerantur, non esse revera causas respectu naturae specificae quam componunt, quia nimirum deest distinctio inter causam et effectum, quam expositulat ratio veri principii. Haec est etiam ratio, quamobrem tota rei quidditas, quae *forma totius* appellatur, non habet physicam et proprie dictam causalitatem in rei constitutione; unde appellatur etiam forma metaphysica. Apposite Suarez. " Forma metaphysica, quae est forma totius, nihil aliud est, quam tota rei substantialis essentia, quam etiam integram naturam appellamus; quae non dicitur forma eo quod specialiter exerceat propriam causalitatem formae, sed quia rem essentialiter constituit per seipsam.... Quae constitutio non est per causalitatem ab ipsamet natura aliquo modo distinctam, sed est per intrinsecam actualitatem et entitatem ipsius naturae totalis. Et propter hoc etiam dicitur haec forma metaphysica non physica. " (*Metaph. D.* 15. sect. 11. n. 8.)

THESIS XXXIX.

*Præter intrinsicam, datur etiam forma extrinseca, quæ ut vera causa concurret ad rei effectiorem. Est porro duplex, pro eo quod agens est natura vel arte operatur.*

656. *Probatur I. pars.* — Ratio ducitur ex determinatione quam oportet habere actio causæ efficientis. Hæc enim dupliciter determinata esse debet, quo nempe determinatus effectus inde habeatur. Primum quidem quoad exercitium, ut videlicet sit potius quam non sit: deinde vero quoad specificationem, ut scilicet hic potius effectus habeatur quam alius. Primum quidem est vel ex naturæ instinctu, vel ex libera voluntatis optione: alterum vero ex forma quæ præexistit in agente, cui videlicet assimilatur effectus qui ab eo procedit. Hinc illud effatum supra declaratum: *Omne agens agit sibi simile*, de quo paulo inferius, lam age, forma huiusmodi, tametsi extrinseca effectui quem sibi assimilat, est vera ipsius causa: ab ea enim hic vere dependet in suo esse. Quare S. Thomas, \* Forma semper notat habitudinem causæ: est enim forma quodammodo causa eius quod secundum ipsam formatur: sive formatio fiat per modum inhaerentiae, sicut in formis intrinsicis: sive per modum imitationis, ut in formis exemplaribus. (Qq. Disp. Verit. q. 3. a. 3.) Merito autem revocatur ad genus causæ formalis. Proprius enim modus quo effectus a tali causa dependet, est in sua specificatione, ac propterea a Philosopho vocata est *ἡ ὁμοιωτική*. Atqui sic et non aliter effectus a forma agentis dependet.

657. *Probatur II. pars.* — Facile ostenditur, si quis consideret proprium modum operandi agentium naturalium et artificialium. Illa enim, quemadmodum a natura ipsa determinantur ad operandum, sic etiam ab eadem

etiam sortiuntur talem operationem et non aliam. Quare dicuntur esse determinata *ad unum*. Contra, quæ per intellectum operantur, quæ talia, activitatem a natura habent valde indeterminatam: unde libera sunt sive in exercitio sive in specificatione suarum operationum. Ad hanc porro determinationem exercitii tribendam satis est, ut diximus, libera optio voluntatis eorundem: sed quoad specificationem requiritur præterea forma exemplaris intelligibilis, quo nempe artificioso et intellectuali modo operentur. Et hæc est ratio, quamobrem duplicem formam extrinsecam supra distinximus cum S. Thoma [647], alteram videlicet *a qua*, alteram vero *ad quam*. Apposite rursus idem S. Doctor, \* In omnibus, quæ non a casu generantur, necesse est formam esse finem generationis cuiuscumque. Agens autem non ageret propter formam, nisi in quantum similitudo formæ est in ipso. Quod quidem contingit dupliciter. In quibusdam enim agentibus præexistit forma rei fiendæ secundum esse naturale, sicut in his quæ agunt per naturam: sicut homo generat hominem, et ignis ignem. In quibusdam vero secundum esse intelligibile, ut in his quæ agunt per intellectum: sicut similitudo domus præexistit in mente edificatoris: et hæc potest dici idea domus, quia artifex intendit domum assimilare formæ quam mente concepit. (Summa th. 1. p. q. 15. a. 1.)

658. *Coroll. I.* — *In quo conveniat, et in quo differat utriusque formæ causalitas.* — Ex diæti manifeste patet, quæ ratione ambæ formæ, naturalis videlicet et intellectualis, conveniant in influxu quem exercent respectu proprii effectus. Nempe huc tendunt, ut in effectu reluceat impressa quaedam similitudo perfectionis earundem. Ad rem Angelicus, \* Sicut in intellectu præconcepiente existit tota similitudo effectus, ad quam per actiones intelligentis pervenitur, ita in agente naturali præexistit similitudo naturalis effectus, ex qua actio in hunc effectum determinatur. (3. Cont. Gent. c. 2.) Et alibi adhuc profundius, \* Natura nihil est aliud, ait, quam ratio cuiusdam artis, scilicet divinæ, indita



rebus, qua ipsae res moventur ad finem determinatum; sicut si artifex factor navis posset lignis tribuere, quod ex seipsis moverentur ad navis formam inducendam. (2. *Physic.* lect. 14.) Hoc vero differt inter utrumque, quod naturale agens, prout huiusmodi, tendit quidem in hanc assimilationem, eam tamen non sibi praestituit ut finem, sed praestitutam habet ab alio, a quo videlicet formam ipsam suae operationis recipit. Contra accidit in intellectuali agente. Hinc prior forma non dicitur exemplaris seu idea, ut altera. \* Si aliquid fiat, ait rursus S. Thomas, ad imitationem alterius per agens, quod non determinat sibi finem, non ex hoc forma imitata habebit rationem exemplaris vel ideae; non enim dicimus, quod forma hominis generantis sit idea vel exemplar hominis generati; sed solum hoc dicimus, quando agens propter finem determinat sibi finem, sive illa forma sit in agente, sive extra agentem: dicimus enim formam artis in artificie esse exemplar artificiatum; et similiter etiam formam quae est extra artificem, ad cuius imitationem artifex aliquid facit. (Og. Disp. *Verit.* q. 3. a. 1.)

659. *Coroll. II.* — **Propria ratio ideae, ut est exemplaris causa.** — Hinc ulterius colligitur, hanc esse rectam definitionem ideae, prout est exemplaris causa: *Idea est forma mente praconcepta, ad cuius imitationem aliquid fit per se, et ex intentione agentis.* Lege S. Thomam articulo citato. Cum vero in conceptione artificis duo distinguantur, videlicet ipsa ratio obiectiva quae concipitur, et actus ipse cognitionis quo concipitur, quaeri potest utri conveniat allata definitio ideae seu causae exemplaris, ac propterea utrum haec se habeat, ut quod intelligitur, vel potius ut quo intelligitur. Primum potius videtur esse affirmandum; se habet enim, ut aliquid quod expresso et intellectuali actu ab agente intenditur. Et haec certe est mens S. Thomae. \* Forma, ait, in intellectu potest esse dupliciter. Uno modo ita, quod sit principium actus intelligendi; sicut forma quae est intelligentis, in quantum est intelligens; et haec est similitudo intellecti in ipso. Alio modo, ita quod sit terminus actus intelligendi;

sicut artifex intelligendo excogitat formam domus: et cum illa forma sit excogitata per actum intelligendi et quasi per ipsum effecta, non potest esse principium actus intelligendi, ut sit primum quo intelligatur; sed magis se habet ut intellectum quo intelligens aliquid operatur. Nihilominus tamen forma praedicta est secundum quo intelligitur; quia per formam excogitatam artifex intelligit quod operandum sit. Sicut in intellectu speculativo videmus, quod species, qua intellectus informatur ut intelligat actu, est primum quo intelligitur; ex hoc autem, quod est effectus in actu per talem formam, operari iam potest formando quidditates rerum et componendo et dividendo. Unde ipsa quidditas formata in intellectu, vel etiam compositio et divisio (h. e. conceptus obiectivus, vel enuntiabile), est quoddam operatum ipsius, per quod tamen intellectus venit in cognitionem rei exterioris, et sic est quasi secundum quo intelligitur. Si autem intellectus artificis aliquid artificiatum produceret ad similitudinem sui ipsius, tunc quidem ipse intellectus artificis esset idea, non quidem ut est intellectus, sed in quantum intellectum. (loco citato, a. 2.) Neque obstat si quis fortasse dixerit non videri quo pacto in hac doctrina servetur distinctio requisita causam inter et effectum. Sic enim ipsa res, quatenus intellecta, exhibetur tamquam causa exemplaris sui ipsius. Respondeo, nullum esse inconveniens in eo quod unum idemque, secundum diversum statum vel modum essendi, se habeat ut causa et effectus, praesertim si ita sit in diverso causarum ordine. Sic, ut paulo post dicemus, eadem res prout existit in mente est vera causa finalis respectu sui ipsius, prout est in rerum natura. Pari ratione nihil vetat eandem rem, prout est intellecta, se habere ut causam exemplarem respectu sui in ordine reali, cum praesertim hoc causae genus proxime accedat ad finalem.

660. *Coroll. III.* — **Exemplar proximum et remotum.** — Postremo intelligitur ex dictis, duplicem distinguere debere exemplarem causam, proximam nimirum et remotam. Illa est ipsa conceptio intellectualis qua ar-